



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Hæreticorum objectiones solvuntur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

eminet Raymundus Martini, Ordinis Predicatorum, qui suum opus Pugionis fidei, iis testimoniis locupletavit: quod opus olim Galatinus omnino exciperat, & tanquam proprium partum in lucem emisit: sed illud illustrissimus Dominus de Voisin, Exsenator Burdigalensis, suo Authori restituit.

Quantum ad statum legis gratiae, ex superioribus facile probari potest, & comparatione statum omnium perfectissimi, cui nihil deesse credendum est eorum quae in aliis statibus habebantur, qui huius duntaxat figuras continebant, aut rudia lineamenta. Si ergo in statu legis naturae & legis scriptae plura habebantur solâ traditione accepta, & quae necessaria erant ad cultum religionis, & regimen Ecclesiae, ut jam ostendimus, etiam in statu legis gratiae, non minus esse debent traditiones, cum non minus etiam ad regimen Ecclesiae pertinere possint, aut necessariae sint.

Et confirmari potest ex eo quod in Actibus Apostolorum cap. 1. dicatur quod Christus per dies quadraginta apparens Discipulis, ipsis loquebatur de regno Dei: de regno scilicet Ecclesiae quam fundabat, de regimine quo regenda erat, de legibus quibus erat stabilienda, & aliis quae ad perfectum regimen necessariò requiruntur; haec enim omnia Christus post resurrectionem per dies quadraginta cum Discipulis conversatus, ore tenus eos docuit.

Si verò queras, quænam traditiones sint quae servantur in Ecclesia? Respondeo cū Gravina tomo 1. praef. contr. 4. art. 7. has potissimū haberi. Primò circa mysterium Trinitatis, tres esse duntaxat, nec plures personas: etsi enim expressè habeatur in Scriptura, tres esse personas, nullibi tamen expressè habeatur non esse plures, sed id sola traditio docet. Secundò, quantum ad primam personam, nomen ingenti ipsi solum convenire, & quantum ad Filium, esse principium Spiritus Sancti, & demum quantum ad ipsum Spiritum Sanctum, illius productionem non esse generationem, sed processionem, haec enim minùs ex Scriptura, quàm ex traditione habentur. Tertio de Christo, traditione habetur, descendisse ad inferos, & liberasse Patres, & crucis signum in honore habendum esse. Quartò de Beata Virgine, virginitas ejus perpetua, immunitas ab omni actuali peccato, assumptio ejusdem in caelos, etiam in corpore, traditione habentur. Quintò Symbolum Apostolorum, sicut & Scripturam quam habemus, canonicam & veram esse Scripturam, solâ traditione accepimus. Sextò circa Sacramenta, eorum numerum, materiam, formam, traditio docet, saltem quantum ad aliqua, quorum materia & forma non exprimuntur in Scriptura: sicut & baptismum debere conferri parvulis, posse in necessitate conferri ab omnibus, validum esse collatum ab haereticis, imprimere characterem, non esse iterandum: Confirmationem verò esse sacramentum, characterem imprimere, & à solo Episcopo ut ministro ordinario posse conferri: Eucharistiam esse Sacramentum simul & sacrificium, & aquam vino miscendam esse: Pœnitentiam verum esse Sacramentum, & triplici parte, confessione scilicet, absolutione, & satisfactione constare: Extremam Unctionem verum esse Sacramentum: Ordinem etiam esse verum Sacramentum, imprimere characterem, & varios esse ejus gradus; demum Matrimonium, verum etiam esse Sacramentum, conferre gratiam, & ratum, non consummatum, per professionem re-

Tom. IV.

ligiosam dissolvi. Haec omnia sigillatim ex traditione haberi probat eruditè citatus Author. Quae verò sequuntur, & quae potissimū haeretici negant, probat operosius haberi traditione omnium à Christo saeculorum. Primò primatum D. Petri, secundò Missae sacrificium; tertio purgatorium, & defunctorum suffragia; quarto institutum monasticum, & cœlibatum; quinto sufficere Eucharistiae sumptionem sub unica specie; sexto fieri veram in Eucharistia transubstantiationem; septimò esse in Ecclesia thesaurum unde indulgentiae concedantur; octavo sanctorum invocationem & intercessionem; nonò imaginum & reliquiarum cultum. His addo jejunium quadragesimale, quod omnes ferè Patres ex Spondano anno 57. num. 57. docent institutum fuisse ab Apostolis in honorem Passionis & Resurrectionis Christi. Unde Hieronymus in Epistola ad Marcellam: *Nos (inquit) unam quadragesimam ex Apostolorum traditione congruo tempore jejunamus.* Et Ignatius Epist. ad Philippenses in fine: *Quadragesimale jejunium ne spernatis.* Basilii item serm. 2. de jejunio testatur jejunij quadragesimalis legem suo tempore adeò religiose observari fuisse solitam, ut nemo prorsus ab illa sese eximeret: *Non insula (inquit) non terra, non civitas, non gens, non denique locus ullus tam desertus, ubi praedicatio ista non fuerit audita. Sed & exercitus, & iter facientes terrarum marique, mercatores quoque omnes, similiter audiunt & suscipiunt.* Idem de jejunio quod servatur quatuor anni temporibus docet Leo Papa serm. 7. de jejunio mensis septimi. Et serm. 2. de jejunio Pentecostes haec habet: *Dubitandum non est dilectissimi, omnem observantiam Christianam, eruditio- nis esse divinae, & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina, qui nunc quoque cordibus fidelium residet instituitis.*

Ex his intelliges, triplex esse genus traditionum: aliae enim sunt immediatè à Christo, quae divinae: aliae ab Apostolis cum assentia Spiritus Sancti, quae Apostolicae: aliae quae vel à Praelatis, vel à populis inchoatae, usu & consuetudine obtinuerunt, ut vim legis haberent, quae Ecclesiasticae dicuntur. Duae priores habent eandem vim & certitudinem, quam habet verbum Dei scriptum, cum nitantur eidem auctoritati, quâ nititur ipsum; & cum verbum Dei, ut supra dicebamus, non habeat vim ab atramento & characteribus, sed à Dei auctoritate. Rursus earum quae à Christo vel ab Apostolis sunt, aliae ad fidem, ut quòd Deipara fuerit semper virgo, quòd sit in caelum assumpta, quòd nunquam venialiter peccarit: aliae ad mores pertinent, ut quòd servanda sint jejunia, quòd celebranda sint festa certis anni diebus, &c. De quo vide Spondanum anno 58. num. 36.

§. II.

Haereticorum objectiones solvuntur.

Obijciunt in primis Haeretici: Scriptura prohibet addi quidquam Scripturae aut verbo Dei, dicitur enim Deuter. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis nec auferetis.* Et Apocal. ultimo: *Si quis appoverit (id est addiderit) ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto:* Verbis igitur divinis, quae in sacra explicantur Scriptura, nihil est addendum tanquam necessarium ad credendum, subindeque

K x

nullæ sunt traditiones non scriptæ, quæ ad fidem pertinent.

48. Resp. quod cum Scriptura prohibet addi quidquid Scripturæ aut verbo Dei, intelligi debet prohibere ne quid Sacræ Scripturæ addatur, tanquam Scripturæ divinæ, aut verbo Dei, tanquam verbū Dei, quod tale non sit, aut quod sit illi contrarium. Nam post librum citatum Deuteronomij, quo prohibetur ne quid Scripturæ aut verbo Dei addatur, multi alij libri Canonici scripti sunt. Similiter cum D. Joan. ait, *Si quis apposerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc*, solum verat ne libro Apocalypsis sibi in Pathmos insula ostensa, aliquid addatur tanquam pars illius Apocalypsis, quod tamen ipse non scripserit vel addiderit; non verò prohibet acceptari alias revelationes ad eum librum nihil facientes; aut Apostolorum traditiones, & Ecclesiasticas Constitutiones sacris litteris non repugnantes.

49. Obijciunt secundò aliqua Scripturæ testimonia, quæ traditiones damnare videntur, Christus enim Matth. 15. alloquens Judæos dicebat: *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras*. Et Paulus ad Coloss. 2. *Videte (inquit) ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum*.

50. Verum ad hæc facile responderetur, Christum & Apostolum, locis citatis, reprobare quidem traditiones fictas, fucatas, & contrarias Scripturæ, vel rectæ rationi, quales erant illæ quas Judæi à Phariseis acceptas servabant; non tamen legitimas, quales erant quas ipsis Moyses & Prophetæ tradiderant: ex quo proinde nihil contra nos; non ideò enim veræ & Apostolicæ traditiones sunt contemnendæ; quia Christus & Paulus falsas & Pharisaicas condemnarunt.

51. Obijciunt tertio: SS. Patres docent Scripturam Sacram esse sufficientem fidelibus; ait enim Tertullianus contra Hermogenem, *Adoro plenitudinem Scripturæ*, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 9. *In iis (inquit) quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem*. Et lib. 3. cap. ultimo: *Quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur*: Ergo præter Scripturam, nullæ dantur traditiones non scriptæ, quæ ad fidem pertineant.

52. Confirmatur: Non minus sufficiens est pro fidelibus Christianis novum testamentum unà cum veteri, quam fuit solummodo vetus testamentum pro Hebræis: Sed tota fides ad quam astringebantur Hebræi, fuit expressa in veteri testamento, & libris ejus: Ergo etiam & tota fides ad quam de necessitate salutis astringuntur Christiani, continetur in novo & veteri testamento: Nullæ ergo dantur traditiones non scriptæ, quæ ad fidem pertineant.

53. Ad objectionem respondeo Scripturam jam notam ex traditione, ut divinam, esse sufficientem fidelibus, si sumatur cum iis omnibus quæ continent implicite & virtualiter: nempe quatenus commendat traditiones, & judicium Ecclesiæ, cui parere nos jubet; non verò quatenus illa excludit. Unde ad locum Tertulliani dico, eum ibi non nisi de creatione mundi agere, contra errorem Hermogenis asserentis mundum non fuisse productum ex nihilo, sed ex præjacente materia. Ex quo nihil contra nos, quod enim Scriptura, quantum ad illum articulum, sit sufficiens, sive habeat plenitudinem, non facit quod sufficiat quoad alia fidei nostræ dogmata.

A Ad D. Augustinum, aliosque Patres interdum asserentes, Scripturam Sacram ad fidem sufficere, dicendum est, eos non usurpare Scripturam in stricta illa & rigorosa acceptione, quæ libros solum Canonicos complectitur, sed in alia magis ampla & generali significatione, quæ ambit & complectitur omnem revelationem ab Ecclesia acceptam uti divinam, sive sit conscripta in corpore Bibliæ, sive non, sed solo verbo tradita. Si quidem quia potissima & multò major pars divinarum revelationum nobis communicatarum, est exarata & scripto expressa in ipsa Bibliâ; idcirco nomine Sacræ Scripturæ, SS. Patres comprehendunt etiam pauca divinitus nobis per traditionem revelata.

B Ad confirmationem nego Minorem, Hebræi enim, præter libros veteris testamenti habuerunt alia nonnulla ad fidem & mores spectantia, ex ore Prophetarum & antiquorum Patrum, sine scripto excepta, sed ab avis ad nepotes, voce, verborumque communicatione transfusa, ad quæ nihilominus agenda vel credenda ipsi obstringebantur: quas traditiones sine scripto per oris transfusionem, nonnulli *Kabalam* Hebræicâ voce nuncuparunt, ut supra in ultima probatione nostræ conclusionis declaravimus. Unde falsum est quod in argumento innuitur, nimirum in veteri testamento, seu in libris Moysis, omnem doctrinam ad salutem necessariam fuisse contentam; nullibi enim in libris Moysis extat remedium pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavum diem, nec non in gentilibus, qui circumcisioni non astringebantur, multisque aliis quæ supra retulimus.

C Obijciunt quarto: Per traditionem non scriptam ostium perverfis erroribus aperitur, facile enim est cuilibet hæretico, cum Scripturarum testimonij destitutum videbit id quod dogmatizat, traditionem de illo comminisci Apostolicam: sic Papias apud Eusebium lib. 3. cap. ultimo errorem suum de mille annis regni Christi, in terris post resurrectionem futuri, commentitiâ traditione Apostolicâ tueri conabatur: sic etiam Quarto-decimani jactabant se celebrationem Paschæ decimâ quartâ lunâ more Judæorum à Joanne Apostolo & Episcopo Ephesino accepisse, ut refert idem Eusebius lib. 4. cap. 14. At credendum non est, Christum, aut Apostolos, usque adeò apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo plane commentitium est, eos aliqua de dogmatibus fidei reliquisse, quæ Scripturarum canone non comprehenderint, & per solam traditionem Ecclesiæ communicaverint.

D Respondeo hoc argumentum nullius esse roboris, & facile posse in Adversarios sic retorqueri: Si fidei ac religionis negotium doctrinâ duntaxat scriptâ comprehenderetur, magnum hæreticis ad errores in Ecclesiam invehendos pateret ostium: Sed credibile non est, Christum & Apostolos usque adeò apertum ostium erroribus reliquisse: Ergo nec eos omnia scripto tradidisse. Sequela Majoris probatur, facile enim est cuilibet hæretico Scripturas corrumpere & depravare, illisque abuti ad probandum vel defendendum suos errores. Unde Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas asserit omnes seductores non aliter populos fefellisse, nisi prætextu Scripturarum, quas (inquit) tenent ad speciem, non ad salutem. Illique ipsi Hæretici quos proferunt Adversarij, & in quibus malum traditionis usum reprehendunt, potius ex scripturis malè intellectis,

quàm ex traditione fuerunt decepti: Papias enim (ut scribit Eusebius lib. 4. cap. 14. & Hieronymus in cap. 49. Isaïæ, & 19. D. Matthæi) ex Scriptura malè intellecta Evangeliorum & Apocalypsis, suum errorem deduxit; & Quartodecimani decimā quartā lunā celebrandum esse pascha asserabant, ex eo quod ex Evangelio id apertè colligi putarent, ut docet Polycrates, qui illorum Concilio, seu Synodo præfuit. Sicut ergo ex eo quod plures hæretici ad errores suos defendendos, Scripturā abusi fuerint, propterea non potest dici per Sacram Scripturam ostium erroribus fuisse apertum; ita, imò & multò minus, id per traditiones factum dici potest, quamvis interdum hæretici, Scripturarum autoritate destituti, traditione abutantur, vel eam ad suorum errorum defensionem comminiscantur: *Nihil enim (ut ait Seneca) tam sacrum, quod sacrilegium non inveniat.*

58. Obijciunt ultimò: Eo modo credibile est Apostolos necessaria fidei nostræ dogmata tradidisse, qui videtur magis conveniens ut illa perpetuò in Ecclesia conservarentur pura atque integra: Sed modus tradendi aliqua ex dogmatibus illis vivā duntaxat voce, non ita se habet: Ergo credibile est, doctrinam fidei ab Apostolis hoc modo traditam non fuisse. Major constat, Minor verò probatur: quia impossibile est, vel admodum difficile, ut quod auditione tantum percipitur, integrum contineatur & conserveur; vel enim qui audit, non satis assequitur quod audit, vel certè postmodum obliviscitur illius, & consequenter minùs incorruptè ipsum aliis tradit. Unde quamvis in lege naturæ Ecclesia tantum traditionibus non scriptis esset innixa, quia tamen successu temporis oblivione ipsas obliterari animadversum est, in lege Mosaica Scripturæ data sunt, ut per illas oblivioni traditionis succurreretur.

59. Respondeo concessā Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico quod licet attentā humanā industriā & curā in conservandis traditionibus non scriptis, vix fieri possit quod non pateant defectui qui obijciunt; quia tamen illæ quibus utitur Ecclesia, Spiritus Sancti providentiā singulari quā regitur ipsa Ecclesia conservantur, non magis timendum est ut pereant aut corrumpantur in tota Ecclesia, quàm scripturæ, utpote quæ si humanam tantum providentiam attenderemus, facile possent etiam corrumpi, imò & omnino destrui. Et certè si traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque ullis scriptis conservavit Deus, nunc etiam & scripturas, & traditiones non scriptas, haud difficultus conservabit; ridiculumque est credere, eas non eadem diligentia ac fide posse in fidelium cordibus asserari, ac si in papyro scriberentur; neque enim Scriptura Spiritus Dei vivi, facilius quam scriptura atramenti deletur. Unde falsum est, idcirco scripturas in lege Mosaica fuisse datas à Deo, ut oblivioni traditionis succurreretur, si enim ea solum de causa dedisset eas Deus, illæ omnem doctrinam ad salutem hominum necessariam continerent; quod tamen falsum esse ex eo supra ostendimus, quod nullibi extet in libris Moysis remedium pro peccato originali in feminis, & masculis ante octavum diem. Aliæ ergo causæ illius legis scriptæ fuerunt: nimirum ut ea etiam ratione per se quoque optima, hominum salutem consuleretur. Ut ad plures cognitio celestis doctrinæ, propius imminente tempore legis gratiæ, facilius pervenire possent. Et ut, vel ipsis

Tom. IV.

A Judæis invitis, Ecclesia Christi aliquando copiam eorum doctrinæ haberet, & consequenter ejus autoritate, atque antiquitate, veritatem suorum dogmatum defenderet.



DISPUTATIO III.

De Ecclesia.

E Gimus disputatione præcedenti de duplici regula fidei inanimata & muta, Scriptura scilicet & Traditione, nunc de triplici alia regula animata & loquente nobis superest disputandum; & primò quidem de Ecclesia, deinde de capite ejus visibili, Pontifice Romano, postea de Conciliis generalibus & œcumenicis, universalem Christi Ecclesiam representantibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum Ecclesia universalis sit infallibilis in credendo, & certa regula fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur.

SUPpono primò, Ecclesiam posse spectari dupliciter: Primò generaliter & latissimè, prout non solum homines, sed etiam Angelos, nec solum viatores, sed etiam beatos & comprehensores complectitur; unde sic accepta definitur, *Societas creatura rationalis, supernaturali cognitione Deo adherens, ejusque vero cultu inter se communicans.* Ubi dicitur primò *societas*, quia Ecclesia in uno solo subsistere nequit, sed ad minimum tres, qui in jure dicuntur capitulum facere, complectitur. Secundò *creatura rationalis*, quo nomine tam Angeli quàm homines comprehenduntur, ambo enim ad corpus Ecclesiæ generaliter sumptæ spectant. Tertiò subditur, *adherens Deo*, quia si Ecclesia Deo non adhereret, esset congregatio prophana & humana, ad instar rerum publicarum hujus mundi, non autem divina & celestis, qualis tamen debet esse Ecclesia, de qua nunc agimus. Quartò subjungitur, *supernaturali cognitione*, in genere, ut sic visionem Dei, & fidem complectamur: Angeli enim in Ecclesia triumphante, Deo per claram ejus visionem adherent, nos autem in militante, sicut & animæ quæ in purgatorio cruciantur, per fidem & ænigmaticam cognitionem. Quintò dicitur, *inter se communicans*, ad societatem quippe non sufficit sola multitudo, sed insuper requiritur aliqua communicatio, ut nimirum unaquæque pars alteri pro suo modo & conditione communicet; unde in damnatis, quamvis sit multitudo, non reperitur tamen vera societas, quia non sunt inter se uniti, neque muris officiis inter se communicant. Postremò subditur, *vero Dei cultu*, quia communicatio quæ est inter Ecclesiæ membra seu partes, maximè penes verum Dei cultum attenditur, Ecclesia enim nomen est religionis, significans societatem eorum qui ad Deum colendum vocati sunt.

Ecclesia sic generaliter & latè accepta, variis

Kk ij